

ipso cōmendant, quod præsidiē Sisamnē, qui pecuniā corruptus, iniustam sententiā tulerat, interfecit, & toti corpori cutē detraxit, eamq; tribunali instravit, posteaq; filium Sisamnis Otanem in eam sedē collocavit, eumque, patris exuuias intuentem, iuste iudicare iussit, ne simili supplicio afficeretur.

Coniungant iudices his, quæ dixi, ea quæ habentur libro Sapientiæ cap. 6. & quam graue munus sustineant, quantaque cum reuerentia, & timore Domini obire istud debeant; abunde intelligent. Nos iam concludemus, agentes Deo gratias, quod filium suum, seruum illum iustum, iniustissimo iniqui iudicis iudicio nostro nomine subiecit, vt lætis, & erectis capitib. exspectare iam possimus iudicium illud extremū, & effugere impiis superuentura mala, & stare ante conspectum eius. Ipsi sit laus, honor, & gloria in æternum, Amen.

---

## C O N C I O XII.

### DE EXECVTIONE IVDICII, ET CRUCIFIXIONE

*Christi, ex textu Matth. 27. à v. 32. ad 57. Marc. 15. à v. 21. ad 42.*

*Luc. 23. à v. 26. ad 50. Io. 19. à v. 16. ad 38.*

**H**Actenus de iudicio, in quo Christus ad falsas Iudæorum accusationes iniquissima sententiā à præsidiē Pilato ad mortē crucis est condemnatus: sequitur iam iniquæ illius sententiæ crudelis, & tyrannica executio. In hoc actu consideranda sunt. 1. Eductio Christi ad locū supplicii. 2. Crucifixio ipsa. 3. Euētus. In educatione consideranda sunt. 1. Eius causæ. Secundò, quid in illa acciderit. Et 1. Quod educitur Christus alia causa in Iudæis, & iudice fuit; alia in Deo.

Quod ad iudicem, ille simpliciter pro consuetudine, & more antiquitus vsitato egisse videtur. Semper. n. facinorosi (qualē illi Christum habebant) educiti fuerunt, vtpote indigni quib. vel viuis, vel morte sublatis locus aliquis inter alios honestos homines concederetur. In hunc igitur morem intuentes Iudæi, & vt no-